



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Qvid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

II. Ad quid obliget votum simplex castitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

delibus tam vitis, quam feminis obseruatum esse non solum nostri referunt, sed etiam Philo Iudæus in lib. de vita contemplatiua, & ex illo Eusebius lib. 2. histor. cap. 16. & breuissime attigit Tertull. in Apologetico cap. 9. vbi pro Christianis respondens, & quali in duas classes illos diuidens inquit. Nos ab illo enecatu diligentissime & fidelissime castitas sepsit, quantumque ab se supra, & ab omni post matrimonium excessu, & ab incestu casu tunc sumus. Quidam multo seculiores totam vim huius erroris virgine continentia depellant senes pueri. Idem latè Athanas. lib. de humanitate verbi, circa medium, & Epiphanius hares. 48. Euseb. lib. 1. de demonstratione Euangel. cap. 8. In Ecclesia Dei duo modi viuendi instituti sunt, &c. & ita in sequentibus capitibus plura necessaria referemus.

Vltimo concluditur ratio ex dictis, nam perpetua castitas est per se bona, & melior quocumque statu illi repugnante: sed huiusmodi esse debet propèssima materia voti: ergo talis etiam est castitas: ergo & votum castitatis optimum est, & seruari castitatem ex voto melius est quam sine voto. Maior proxime probata est. Minor lib. 2. de voto in communi est demonstrata. Prima item consequentia per se nota est. Secunda ex eodem lib. de voto in communi constat, ibi enim ostendimus actum votendi circa materiam proportionatam honestissimum esse, & ceteris paribus, ac per se loquendo, melius esse opus ex voto quam sine voto facere.

Sed dicunt hæretici, temerarium esse ad perpetuam continentiam se obligare, quia est res difficilissima, quæ sine speciali Dei dono integra seruari non potest: ergo quia lege se obligat, cum non sit certus de huiusmodi dono Dei, & Deum tentat, & quantum in se est maioribus periculis sese exponit. Atque ita exponebat Caluinus verba illa Christi Matth. 19. Qui potest capere capiat, id est, qui certus est se habere hoc donum, & non alius, vnde inferebat illis verbis potius retrahi homines à cœlibatu, quam invitari. Adiciunt illud Pauli; Si non se continent, non habeat; voluit ergo Paulus hoc remedium semper esse homini liberum: non ergo licet per votum perpetuum illo se priuare.

Ad primam partem respondeo, si per continentiam donum intelligant donum infallibiliter perseuerandi per totam vitam sine lapsu carnis, conditionem de lege ordinaria impossibilem à nobis postulat, vt continentiam vouere possimos, quia enim via consistit homini se habere hoc donum, priusquam in re ipsa illud experiamur? nisi per diuinam reuelationem, quæ nec ordinariè fit, nec expectanda est ad assumendam perfectionis viam. Si autem experientia necessaria est, vt cognoscatur hoc donum possit illam, vel inuile, vel impossibile est votum, quia neque esse potest de re præterita, nec citra futuram iam locum habebit, quia talis experientia non nisi in morte consummatur. Dicerent, vt opinor, hæretici eo ipso quod homo non scit certo se non habere hoc donum, certo scire debere se non habere illud, quia si haberet, sciret se habere, putant enim neminem habere fidem, & gratiam, nisi certo sciat se habere. At hoc fundamentum hæreticum est, vt Concilium Tridentinum sess. 6. definit, & latius traditur in materia de gratia, cumque de gratia perferantur est profus stultissimum: vnde enim res adeo lubrica & contingens certa esse potest nisi reueletur: aut vnde talis reuelatio haberi potest, & generatim affirmari?

Fortasse tamen non grauiter concederent propter hanc causam secundum legem ordinariam non posse prudenter fieri: hoc tamen est quod falsum esse conuincunt omnia exempla adducta. Nam res

tam frequens & ordinaria in Ecclesia à sui initio, non poterit semper pendere ex specialibus reuelationibus, neque imprudens aut temeraria indicari. Hoc etiam conuincit Christi Domini consilium imitantis homines ad perpetuam castitatem, vt supra visum est, & in illis eisdem verbis, Qui potest capere capiat, illud agnoscunt ibi Chrysothomus, Theophylactus, Augustinus, Fulgentius, & omnes qui de virginitate scribunt, & est manifestum ex tenore ipsorum verborum: non excitaret enim Christus ad rem impossibilem quam homines prudenter apprehendere non possent, absque speciali & inuitata reuelatione. Vnde recte Tertullianus lib. de Monogamia cap. 14. Non potes (inquit) quia non vis, posse enim te si vis, ostendit, quia tuo arbitrio vtrumque proposuit. Si autem per continentiam donum solum intelligamus speciale Dei auxilium ad illam seruandam; sic verissimum est, non solum perpetuam, verum etiam temporalem continentiam aliquantulum diuturnam non posse sine hoc dono perfecte seruari, æquè tamen verum est posse hominem, si velit, cum diuina gratia, quæ sibi præsto est, hoc donum à Deo obtinere per orationes & alia pia opera, sunt enim de hoc diuino auxilio manifestæ Scripturæ promissiones, & ideo merito dixit Augustin. lib. 2. de Adulter. coniug. cap. 29. Teuis erit continentia sarcina si Christus erit: Christus erit si fides aderit, qua impetrat adiuuante Deo, quod iusserat. Denique experientia ipsa constat, innumeros esse qui per hæc media donum hoc impetrant, & castitatem semel Deo promissam illibatam perpetuo conseruant, vt plane constat impotentiam, quam hæretici causantur, non esse prauam eorum affectionem & voluntatem. Quomodo aliàs dixit Chrysoth. homil. 67. in Ioann. Non potuerunt credere, quia noluerunt; sic enim communi sermone quis dicit, Non possum asportum hominem deligere, vehementiam voluntatis potestatem appellans: & infra, Qui nolens ideo non possunt, adducens illa eadem Christi verba, Qui potest capere capiat. Lege Nazianzen. orat. 36. non longe à principio. De alio vero testimonio Pauli dicemus commodius capite sequenti.

Castitas sine speciali Dei auxilio seruari nequit.

CAPVT II.

Ad quid obliget votum simplex castitatis.

Supponimus primo, sermone esse de voto perpetuæ continentiam, & ideo non inquirimus quando obliget; quia semper & pro semper obligat, quia cum sit ex parte materię, priuatiuum obligat ad modum præcepti negatiui, vt supra explicatum est. Quod si fiat tale votum temporale, pro illo tempore cum eadem proportionem obligabit. Suppono secundo sermonem esse de voto integræ castitatis; nam, vt supra dixi, illud tantum est absolute & simpliciter castitatis votum. Potest autem aliquando fieri votum de aliqua tantum parte materię castitatis, & tunc clarum est ad illam solum obligare, quia obligatio non excedit voluntatem & intentionem vouentis, iuxta illam vero efficaciter inducitur, quando promissio iusta, & honesta est. Difficultas autem quædam, quæ hic insinabatur, de voto non nubendi, infra melius & commodius tractabitur.

Suppono tertio materiam castitatis secundum se spectatam duplicem esse, quandam necessariam, & aliam voluntariam. Necessaria est abstinentia ab omni actu turpi, & omni experimento libidinis extra statum matrimonii, ad hanc enim tenetur homo ex vi iuris naturalis, seculo voto, & ideo necessaria vocatur secundum se, non quoad voti obligationem. Nihilominus certum est prædictum castitatis

2. Præmissio.

Votum castitatis obligat semper, & pro semper se, vnde.

3. Tertia suppositio.

Materia castitatis duplex, necessaria, & voluntaria, ad vtramque obligat votum.

stitatis votum ad hanc etiam partem castitatis seruandam obligare, quia illa etiam sub prædicta vniuersalitate continetur, & non repugnat illi naturali obligationi aliam voluntariam superaddere, vt in disput. 1. & 4. de voto in communi dictum est. Vnde etiam fit, qui post votum castitatis circa hanc partem aliquid peccat, non solum contra temperantiam, sed etiam contra religionem delinquere tanquam voti violatorem, & consequenter teneri ad eam circumstantiam in confessione explicandam. Quod est certissimum non solum quoad externum actum, sed etiam quoad internum consensum, & desiderium cuiuscunque turpis actus, tum quia ex parte obiecti seu circumstantiæ eius participat ille actus eandem malitiam sacrilegii, tum etiam, quia ipsemet actus internus cadit etiam sub tale votum, nam est vniuersalis promissio abstinendi ab omni actu voluntario, tam interno, quam externo castitati contrario. Atque ob eandem rationem idem locum habet non solum in interno desiderio, sed etiam in morosa ac voluntaria delectatione interiori de actu turpi, etiam si illa sit absque desiderio, imo cum proposito non committendi talem actum exterioriorem. Nam etiam illa delectatio sub tale votum cadit, & ex vi illius prohibita est religioso vinculo: & præterea etiam illa in tali persona habet pro obiecto malum aliquod religioni contrarium, & ex hac parte etiam malitiam participat. Quauis enim ex hac duplici radice, quando hoc modo coniunguntur in eadem persona, vna tantum malitia confurgat, nihilominus vna radix est ab altera diuersa, & aliquando possunt separari: nam qui morosè delectatur circa illicitum actum cogitatum circa virginem habentem castitatis votum, non peccat ipse contra religionem, eo quod faciat actum quod ex proprio voto vitare teneatur (suppono enim ipsum non habere votum castitatis) nihilominus tamen sacrilegus est, quia de actu religioni contrario ex parte personæ ad quam tendit, delectatur. Non melius later aliquos negare delectationem illam participare malitiam illius circumstantiæ; sed quod dixi censéo verissimum, & de illa sententia censuram ferre non est præteritis instituta. Et de obligatione illius voti quoad hanc partem materiæ eius nihil aliud speciale, aut notatiue dignum dicendum occurrit.

3.

An votum castitatis obliget ad abstinendum à matrimonio.

Ratio dubitandi.

Altera pars huius materiæ est secundum se voluntaria, quæ est abstinentia ab omni licito vsu venerico, nam ad hunc etiam extenditur promissio & intentio vouentis. Quoniam vero primum fundamentum honestatis in tali materia est vinculum matrimonii, & ideo tota difficultas huius capituli ad hanc præcipue quæstionem reuocatur, an tale votum obliget etiam ad abstinendum à vinculo matrimonii, quod dupliciter contrahi potest: primo animo & intentione consummandi illud; secundo sine tali intentione, imo cum proposito perpetuo abstinendi à coitu, & de vtroque dubitari potest, de priori dicemus in hoc capite, de posteriori in sequenti.

Circa priorem ergo partem ratio dubitandi esse potest ex citatis verbis Pauli 1. Cor. 7. *Si non se committunt, nubant.* Ergo quotiescunque fuerit periculum incontinentiæ, licitum est vti hac licentia Pauli: nam sub hac conditione necessario debet intelligi tale votum esse factum, quod videntur conuincere sequentia verba: *Melius est enim nubere, quam viri*: nam in voto semper intelligitur exceptum quod melius est. Secundo auget difficultatem obscura sententia Cypriani epist. 62. ad Pomponium, vbi de Virginitate loquens ait, *Quod si ex fide se Christo dicauerunt, pudici & casti sine vlla sabula perseverent, ita fortes & stabiles premium virginitalis expectat: si autem perseverare noluerint, aut non possunt, melius est nubant, quam in ignem delicti sui cadant.*

Nihilominus cerum est obligare hoc votum ad non contrahendas nuptias animo consummandi illas. Assertio est certa, & de fide, quæ sufficienter probatur ex loco Pauli 1. ad Timoth. 5. *Nubere volunt habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt*, vbi loquitur de viduis, tamen eadem ratio est de omnibus habentibus votum castitatis. Et ita exposuit August. lib. de Bono viduitatis cap. 9. *dicens, la viduarum & virginum continentia excellentia muneris amplioris experitur, quia experita & electa, & voto debito obligata, iam non solum capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle damnabile est.* Est etiam hæc veritas frequens apud Pontifices, Concilia, & sanctos Patres, ex quibus multa refert Gratianus 20. quæst. 1. & 27. quæst. 1. & in sequentibus capitulis aliqua necessario afferemus. Hic addere possumus verba Basili di. homil. de vera virginitate. *Cuique (inquit) ab initio quod visus cupiat modo concessum, hoc inire & optare licet, siue in matrimonio, siue calidè agere, quando vero semel Deo se auctorauit per vira continentiam ac perpetuam castitatem, hoc detrectare non licet, nec aliter quam aliquod minus, aut hostiam Deo sacræ sessili custodire, ne reos sacrilegii, nos Dominus decernat iudicio, si dicatur ei corpus rursus rebus prophanis, & communis vitæ ministerio fordidauerimus.* Epiphani. etiam hæref. 61. circa finem, *Tradiderunt (inquit) sancti Dei Apostoli peccatum esse post decretam virginitalitatem ad nuptias conuerti.* Quod confirmat statim ex citato testimonio 1. ad Tim. 5. & subiungit. *Si itaque & ea que post mundi experientiam vidua fuit, atque Deo dicata, & postea nupsit, iudicium & condemnationem habebit quod primam fidem reuocet, quanto magis quæ circa mundi experientiam virgo Deo dicata fuit, & nupsit, contra Christum lasiuat, & maiorem fidem occidit, & vnicuique habebit, &c.* Vt autem Paulus alio loco ait, *Si nupsit virgo, non peccauit, intelligendum esse inquit, de virgine quæ non est dicata Deo.* Grauislima etiam est & verissima exaggeratio Augustini lib. 1. de Adulter. coniug. cap. 24. post castitatis votum, neque propter alicuius infidelis conuersionem licitum esse cum eo matrimonium contrahere. *Qui etiam videri potest lib. 2. cap. 12. lib. 1. de ciuit. cap. 16.*

Ratio huius veritatis est, quia materia huius voti non tantum est quæ aliqui est necessaria, sed simpliciter omnis illa, quæ est etiam in supererogationis ratione intra latitudinem castitatis; ergo sub illa comprehenditur etiam copula coniugalis, & quidquid ad illam ordinatur, quatenus tale est: ergo etiam ibi comprehenditur vinculum matrimonii saltem vt ordinatum ad copulam, & sub ordinatione consummandi illud: obligat ergo tale votum semper & pro semper ad abstinendum à tali actu; ergo illud efficere propria autoritate & sine dispensatione est intrinsecè malum, & graue peccatum sacrilegii. Prima propositio assumpta quantum ad ius attinet, demonstrata est capite præced. Quantum vero spectat ad factum, constat ex vsu totius Ecclesiæ, & ex intentione vouentium, & quia in hoc distinguitur votum castitatis simpliciter, à voto castitatis coniugalis. Denique hoc ipsum supponimus cum dicimus sermone esse de voto integro & totali castitatis. Consequentia vero omnes persè manifestæ sunt.

Vt autem priori rationi dubitandi respondeamus, addimus vnum tantum euentum posse excipi, in quo potest esse licitum, non obstante voto matrimonii contrahere, scilicet, quando naturale præceptum euidenter ad id obligaret, quia materia voti non potest comprehendere aliquid præcepto contrarium, & ideo quoties omisso alicuius actus vouetur, necessario habet tale votum conditionem subintellectam, scilicet, quandiu talis actus non occiderit

sub preceptum. Hic autem casus in presenti materia non est moralis, ut constat ex dictis in superiori capite, quia naturale preceptum matrimonij non obligat nisi pro articulo necessitatis humani generis, quæ necessitas non est quod nunc timeatur. Aliquando tamen posse occurrere casus, quamvis rarissimos, in quibus propter publicam pacem alicuius regni, aut conversionem ad fidem, aut aliud æquivalens bonum commune aliquis obligetur ex charitate ad subveniendum rei publ. mediante matrimonio. Etiam hic casus adeo raris est, ut non faciat moralem exceptionem. Adde insuper vix esse posse tam certam & claram obligationem, quin recurrendum sit ad Pontificem, vel ut dispense, vel commutetur, quod exprimitur censuerit. Nam extra casum virginis precepti, regula tradita generaliter, & sine alia exceptione procedit propter rationem tactam à D. Thom. in hac quæst. 88. art. 12. sufficienter explicata. Per preceptum enim sufficienter explicatur nobis DE I VOLUNTAS, secluso autem precepto, cum votum alias de se obliget, & castitas etiam sit magnum spirituale bonum, & maxime Deo gratum, non potest priuata auctoritate iudicari actionem illi contrariam esse magis Deo gratam, ac proinde seclusa obligatione precepti talis voti obligatio per se non cessat, neque etiam propria aut priuata auctoritate commutari potest, ut in superioribus terigi, quamuis de hac posteriori parte dubitari possit, an sit ex sola rei natura, vel ex Ecclesie ordinatione, quod supra etiam tactum est, & ad præsens non refert.

Ex his ergo ad primam rationem dubitandi (quæ coincidit cum argumento hæreticorum supra huc remisso) patet responsio. Non admitto enim tantum esse posse morale periculum incontinentiæ, ut propter illud vitandum obligetur homo ad matrimonium, quia semper super sunt alia media, quibus potest homo & occasiones fugere, & difficultates superare orando, ieiunando, & alia similia remedia adhibendo. Vnde qui votum castitatis habet, ad hæc potius debet confugere, quam ad matrimonium, imo ad hoc ipsum virtute se obligauit per tale votum, quando illud emisit, iuxta exigentiam periculorum, atque necessitatem. Quando autem Paulus dixit, *si non se continent, nubant*, de his loquitur, qui ex voto ad se continentiam non sunt obligati, ut ibi Chrys. Theodor. & alii exponunt, & manifeste constat ex contextu. Deinde non simpliciter nubere præcipitur, sed conceditur, easque non castitati, sed incontinentiæ præferenda esse dicit, & in eodem sensu subdit, *Melius est nubere, quam vii*, non enim dixit, *quam castitatem vouere, aut seruare*, quod bonum est & melius, sed quam vii, quod peccatum incontinentiæ significat. Itaque absolute consultat Paulus continentiam tanquam meliorem, vnde absolute dicit, *Volo vos omnes esse sicut me ipsum*; comparate vero, & sub conditione proportionata præfert nuptias incontinentiæ, & visioni, quæ per metaphoram idem significat, ut bene ibi D. Th. notatur p. st. Theodoretum, & alios. Quamuis ergo id quod melius est, semper intelligatur in voto exceptum, nec per votum impediatur, nihilominus non includuntur nuptiæ ut exceptæ in voto castitatis, quia non sunt simpliciter meliores, sed tantum comparatione peccati, inter quæ duo extrinseca non est necessaria consequentia, nam semper potest homo cum diuina gratia ab utroque abstinere, & id quod utroque melius est, castitatem scilicet, in egram consequere.

Locus Cypriani aliquibus difficilis visus est, vnde variis habet expositiones. Prima est, Cyprianum loqui de virginibus quidem, quæ votum simplex castitatis emiserunt, ita tamen ut earum nuptias non approbet, sed toleret ut veras, & quamuis illicitas factas, Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

tamen minus malas, quam sit concubinitus, aut vergus concubitus talium virginum, ita indicat Pamelius ibi. Sed non placet, nec satisfacit responsio, aperte enim concedit Cyprianus illas nuptias non solum ut minus malas, sed etiam ut non malas & honestas, tum quia dicit, *Melius est nubant, quam in ignem delicti sui cadant*. In quo alludit ad verba Pauli, *Melius est nubere, quam vii*, apud quem certum est melius non significare minus malum, sed simpliciter bonum. In eodem ergo sensu loquutus est Cyprianus. Et quidem si etiam nubendo caderent in delictum, non recte dixisse melius esse nubere, quam cadere. Tum etiam, quia statim subdit, *Certè nullum scandalum fratribus aut sororibus faciatis*: matrimonium autem contra votum Ecclesie notum non potest non esse scandalosum. Non loquitur ergo de huiusmodi matrimonio, sed de illo quod licite & sine peccato fit. Alii respondent, Cyprianum non loqui in illa epistola vsque ad illum locum de virginibus habentibus votum aliquod castitatis etiam simplex, quia de his cõsultus non fuerat, sed absolute de virginibus, quæ cum proposito nudo virginitalis in eo statu perseverabant, quibus proinde licitum erat vel perseverare, vel nubere, ita Ferdinandus Mendoga super Concil. Elibert. libr. 2. cap. 20. Mihi tamen hoc verisimile non est, quia illa verba circa principium epistolæ, *Quæ statum suum continent, & firmiter tenere decreuerunt, pudè & castè sine ulla fibula perseverent*. Nam his verbis solent Patres explicare votum castitatis, & specialiter ab eodem Cypriano in libr. de disciplina, & habitu Virginum, & infra in eadem epistol. vocat hanc virginem CHRIS T O dicatam, & sanctitati eius destinatam, incestuosam & adulteram non mariti, sed CHRIS T I, si alteri coniuncta fuerit: quod si separari nolit, perpetuo dicit abiiciendam esse ab Ecclesia. Quæ non possunt habere locum, nisi in persona habente castitatis votum: nec dubitari potest quin de ipsis virginibus prius loqueretur, ut eas etiam vocauerit CHRIS T O dicatas.

Vera ergo intelligentia illius loci est, Cyprianum quidem in illa epistola principaliter loqui de virginibus, quæ castitatem Deo vouerunt, vel solo voto simplici, vel etiam solenni, in hoc enim res est dubia, quam infra expendemus, & de his dicit omnino perseverandum illis esse in promissione facta, sentiens non licere eis iam nubere; cum vero adiungit, *Si vero perseverare nolunt, aut non possunt*, &c. non agit de eo, quod ipsis licet post votum iam factum, sed de eo, quod expendere debent priusquam illud faciant, ita v. sensus sit: *Quæ votum emiserunt, seruent illud, & hoc est quod ait, sine fibula perseverent*: & ideo quæ tale votum sunt emissura, considerent, an possint, & velint ita perseverare, nam si aut nolunt, aut non possunt, melius est nubant, quam in ignem delicti sui cadant: & hic sensus placuit Hosio, & Turriano, quos refert & tandem sequitur Pamelius supra, & Bellamin. libr. 2. de Monachis cap. 34. Similem sensum clarioribus verbis expressit Chrysostomus serm. de Regulibus fœminis viris cohabitantibus, dicens, *si concupisunt virum & nuptias, & id genus conuersationis appetentes sunt, quæ prohibentur & adimbat libertat in ne hoc facerent, quo neque offensus Deus, neque ipsa ab hominibus redarguta fuissent*. Vbi verba illa de præterito ponderanda sunt, licebat enim id ante votum, non tamen post illud. Denique addunt aliqui, quamuis Cyprian. in illis verbis, *quamuis perseverare*, &c. loquatur post votum iam factum, intelligendum esse loqui non ad ipsas, sed ad

Pomponium collegam, ad quem scribebat, & illi dicere: Melius est dispensare cum eis, ut nubaat, quam eas in eo periculo relinquere. Quæ expositio fuit Didaci P. yua in libro decimo Orthodoxarum explanationum, & Michaelis Med. n. lib. 4. de continentia, controuers. 7. capit. 21. & 31. & esset apprensus si Cyprianus tantum dixisset, si non possunt, tamen quia sub disfunctione dixit, si nolunt, vel non possunt, non potest defendi, quia manifeste id constituit in sola virginis voluntate independentem à dispensatione. Nam ad dispensandum non solum licite, sed etiam valide cum ea, quæ habet votum virginis, non facta est ut nolit perseverare, quia necessaria est iusta causa: nolle autem perseverare, est sola malitia. Omitto incertum esse, an illis temporibus possent Episcopi dispensare in voto continentie, maxime quia probabile est, ut infra ostendam, Cyprian. loqui de voto impediendo, & dirimente subsequens matrimonium, in quo Episcopi nunquam dispensare poterunt. Pertinendum ergo est in expositione data, quæ sine dubio vera est. Nam quod alij obijciunt Cyprianum non agere in tota epistola de virginibus sacrandis, sed sacratis, & de his si lapsæ fuerint, docere, quomodo curandæ sunt, vel puniendæ: hoc, inquam, nihil obstat, quia licet, verum sit, optime potuit Cyprianus obiter significare quid illis considerandum fuit, priusquam vouerent, nam postea non licet quod antea licebat.

Ad validam, & licitam dispensationem voti castitatis requiritur causa iusta.

CAPVT III.

Virum votum simplex castitatis absolute obliget ad non contrahendum matrimonium, etiam cum intentione non consummandi.

Ratio dubitandi in hac parte desumitur ex eo, quod Patres supra citati simpliciter negant, licere contrahere matrimonium post votum castitatis. Et Augustinus supra etiam citatus simpliciter dixit, *habentibus tale votum velle nubere damnable est*; cum tamen velle sit prius, non tantum quam consummare, sed etiam quam contrahere. Et similis sententia refertur ex Hieronymo in c. *vouentibus*, d. 27. & 17. q. 1. sed sub his verbis in illo non inuenitur, meliusque ex Augustino refertur in cap. *nuptiarum*, 27. q. 1. Item idem August. *Qui non damnaretur* (inquit) *si dixisset vxorem, post votum quod Deo promissit, si duxerit vxorem, post votum quod Deo promissit, si duxerit vxorem, post votum quod Deo promissit, si duxerit vxorem.* Similia habet Hieronym. sæpe libris contra Iouinianum, & epistolis de Virginitate ad Eustochium, & ad Sabinianum, Chrysostr. hom. 13. ad Hebr. multaque alia refert Gratianus in tribus locis proxime indicatis. Cum ergo hi Patres nihil distinguant de intentione contrahentis, & absolute damnent huiusmodi nuptias, non licet nobis distinguere, sed quacumque intentione fiant, eas damnare. In contrarium autem est, quia per tale matrimonium factum cum intentione non consummandi, nec violandi in aliquo castitatem, non læditur virtus castitatis, neque actus, neque proposito, imo cum illo actu stat integra, & perfecta virginitas, ut patet aperte in Beatissima Virginitate ergo per talem actum tali proposito factum nullo modo frangitur votum castitatis. Probatur consequentia, quia votum castitatis non habet materiam ampliorum, quam ipsa virtus castitatis.

In hac re duas inuenio sententias, prima affirmat votum illud obligare ad non contrahendum etiam cum intentione non consummandi. Hæc tribuit S. Thomæ in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. tamen eo loco non agit de hoc casu in particulari, sed solum generatim dicit non licere nubere post votum castitatis. Magis videtur fauere huic sententiæ 3. p. quæst. 28. artic. 4. ad 3. vbi et defendat B. Virg. nem nubentem

do non fecisse primam fidem irritam, ait, ante matrimonium non absolute vouisse castitatem: constat autem B. Virginem ita contraxisse matrimonium, ut habuerit firmum propositum nunquam consummandi illud: sentit ergo hoc esse contra votum castitatis, si absolute præcessit. Explicius tenet hanc sententiam Richar. in 4. dist. 38. artic. 7. quæst. 1. ad 3. ait enim non licere contrahere etiam cum proposito ingrediendi statim religionem. Idem tenet Nauarr. in summa cap. 22. numer. 73. & refert D. Antonin. 3. p. titul. 1. cap. 16. §. 1. ille tamen non specificat de contrahente cum tali intentione, sed absolute loquitur, citat etiam Rosellam verbo *Votum*, §. 9. & idem tenet Syluest. *Matrimonium* 7. quæst. §. 5. *secundum*, qui refert etiam Archidiaconum, tenet etiam Cordub. in summa. quæst. 136. Lopez 1. p. Institut. cap. 50. Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 8. & Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 43. num. 7. & in Decal. lib. 4. de voto, cap. 21. num. 4. Insinuatur autem ab his auctoribus varia fundamenta. Primum quod videtur magis per se & intrinsecum voto est, quia voluntas contrahendi est virtualis voluntas consummandi, nec potest ab illa separari, & ideo nec separari possit, quin sit contra votum. Secundum est, quia saltem exponit se periculum morali violandi castitatem, & mutandi propositum intrandi religionem, quod periculum videtur morale, & in proxima occasione, & ideo illi se voluntarie exponere, etiam est fractio voti. Tertium extrinsecum est, quia in hoc fit iniuria alteri coniugi deludendo illum, imo significat Syluester etiam eludi sacramentum ipsum, quia intentio denegandi debitum est contra substantiam & valorem matrimonii. Quartum est, quia hoc saltem est iure prohibitum in locis supra citatis, & in cap. *si vir*, dist. 27. & in cap. *consultus*, & cap. *rursus*, qui clericis vel vouent. Et hæc duo posteriora fundamenta non probant esse contra votum, sed in genere esse peccatum.

Secunda sententia est, non peccare eum qui dum habet votum castitatis, matrimonium contrahit quoad vinculum cum intentione intrandi religionem, priusquam aliquid aliud contra integritatem castitatis committat. Ita tenet expresse Scotus in 4. d. 38. quæst. ult. vers. *consimiliter*. Non potest (inquit) *licite contrahere nuptias cum intentione non consentiendi in copulam, & consequenter intrandi religionem.* Idem supponit d. 30. quæst. 2. & sign. ficat ibidem Duran. quæst. 2. ad argument. Maior quæst. 1. art. 1. & 2. Supplem. Gabr. d. 38. q. 1. artic. 3. Medin. 3. p. q. 28. artic. 4. Bellam. lib. 1. de Monach. c. 22. & tenet Angel. verb. *Matrimonium*, impedimento 5. num. 1. & citat Calderinum in c. *rujus*, qui cler. vel vouent. Idem tenuit Nauarr. in Summ. cap. 16. n. 30. per quem locum videtur alius explicandus. Tenet etiam Caiet. verb. *Matrimonium* c. 1. Fundamentum supra tactum est. Cui addere possumus, quia non minus impedit matrimonium votum religionis, quam votum castitatis, sed qui contraheret illo modo, non ageret contra votum simplex religionis: ergo neque agit contra votum simile castitatis. Minor probatur, quia ille (ut supponimus) non est in mora non implendi votum suum, neque etiam se reddidit incapax ad illud implendum: neque etiam necesse est ut quando contrahit habeat propositum non implendi illud votum.

Inter has sententias hæc posterior videtur mihi vera per se & ex natura talis voti loquendo; in prædicto autem vsu illi magna moderatio & causa necessaria est, & ideo raro poterit ad opus licite deduci. Priorem pattem mihi persuadet prima ratio facta pro illa sententia. Nam vinculum matrimonij per se spectatum non est formaliter contrarium castitati. Et licet radicaliter, seu virtualiter videatur opponi, id solum est quatenus ad copulam ordinatur: hic